



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Desiderius. Dialogvs Vere Pius, & Comprimis Iucundus, De  
Expedita Ad Dei Amorem Via**

**Comalada, Miguel**

**Elvaci, 1685**

Cap. XXIII. Primæ Partis Conclusio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60062](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60062)

hil conspicias? PHER. Eò quòd oculos in capite fixos teneam: & licet interdum humum aspiciam, ipse tamen oculorum repercussus, ad caput reflectatur.

## PRIMÆ PARTIS CONCLUSIO.

### CAPUT XXIII.

**P**osteaquam Desiderius Castitatis consuetudine & sodalitate aliquamdiu usus erat, discessit ab ea impendiò recreatus. Porro Procuratrix extra Domum eum eduxit, aitque illi: Jam quidem Desideri virgines omnes, quotquot in his degunt ædibus, contemplatus es. **DESID.** Nihilne adhuc reliquum est, quod mihi demonstrare velis? **PROCURATRIX.** Si ea omnia, quæ hîc auribus & oculis assequutus es, probe servaveris, atque in opus  
pro-



protuleris, satis instructus eris ad  
 inveniendum Amorem DEI. At-  
 tamen insuper arborem quandam  
 nostro in pomario positam, tibi  
 ostendam. Hac arbore sanè elegan-  
 ti visa, Desiderium ingens cepit ad-  
 miratio, præcipuè quòd duplicem  
 ferret fructum, aitque Procuratrici:  
 DESID. Cujusmodi sunt fructus isti?  
 PROCUR. Fructus in infimis nascent-  
 es ramis, iidemque pallidi ac disco-  
 lores, dicuntur Diffidentia sui: quæ  
 verò in summis nascuntur frondi-  
 bus, colore eleganti & roseo, Con-  
 fidentia in DEUM, appellantur:  
 quibus fructibus eos, qui huc in-  
 grediuntur, vesci oportet. Nam si  
 his non vescantur, omnis eorum la-  
 bor inanis est, frustra que huc veni-  
 unt. DESID. Placètne ex his fru-  
 ctibus mihi impertiri, quos in iti-  
 nere mecum feram? PROCUR. Pla-  
 cet sanè. Et primò ex infimis fru-  
 ctibus, nempe Diffidentia tui, quan-  
 tum satis est, ede: supremis autem

in-



imple manticas tuas omnes, quò is  
 per iter utaris: sufficientque, donec  
 ad Amoris DEI pertingas ædes. De-  
 siderius infinis exartatus ac abundè  
 refectus fructibus, impensè læta-  
 batur: porrò summis peram, man-  
 ticam, manicas & finum in iter  
 complebat, aitque Procuratrici.  
 DESID. Obsecro, mea soror, se-  
 mitam maximeque compendiarium  
 ad Amoris DEI ædes iter, quod mi-  
 hi tenendum dicis, me edoceas.  
 PROCUR. Gaudeo reverà, dum ad  
 inquirendum AMOREM DEI,  
 iterque capessendum tam probè te  
 instructum conspicio. At nihilo-  
 minus vereor, si solus proficiscaris,  
 rectum iter minimè te reperturum.  
 Itaque fidos quosdam ex nostris co-  
 mites tibi adjungam, qui tecum per-  
 gant, teque deducant. DESID.  
 Sufficitne meus canis, qui Bona Vo-  
 luntas dicitur? PROCUR. Neuti-  
 quam sanè. Nam quantumvis bo-  
 na sit, non satis est ad hoc iter confi-  
 ci-



ciendum : utpote in quo non solum  
 perplures feræ, foveæ, trunci vel fru-  
 tices, vepres & spinæ, sed etiam la-  
 trones, fures & raptores multi, qui  
 homines despoliant, extinguunt, &  
 sæpiùs fallunt, reperiuntur. Unde  
 consultius est, ne uni tuo Cani præfi-  
 das. **DESID.** Quando sic se res ha-  
 bet, eos mihi, quæso, comites præbe,  
 quos mihi magis utiles & necessarios  
 nôsti. **PROCUR.** Accipe tecum  
 Ostiarium nostrum Timorem Do-  
 mini, virum certè egregium & præ-  
 stantem, eoque si destitui nolis, non  
 patiaris à te discedere filiam ejus,  
 nempe Verecundiam, quam similiter,  
 si amittere non vis, memoriæ refri-  
 candæ causa apud te retineas herbam,  
 vocabulo Humilem Oculorum De-  
 missionem. Deinde etiam Simpli-  
 citas tecum gradietur. Age nunc,  
 mi Desideri, divinâ munitus Benedi-  
 ctione, felix proficiscere. Hoc ta-  
 men admonitum te velim, etiamsi  
 vel Timorem Domini, vel Simplici-



tatem perdere te contingat, ut ad minus canem tuum diligenter conserves & retineas. Is enim id tibi præstabit, ut eos recuperes. Tantùm cura, ut fructus, quos in mantica condidisti, ei edendos præbeas. Ubi autem hinc discesseris, iter, quod ad lævam est, amplectere: ubi semitam comperies, longè aliis viis compendiosiore, quæ te rectà ad CHARITATIS domum, in qua DEI AMOR habitat, perducet. *DESID.* Quinam semita illa vocatur, ut, si me aberrare contingat, alios scisciter, & ad viam revertar? *PROCUR.* Patientia illi nomen est, quæ ad Humilitatis, tum Charitatis ædes, semita est imprimis compendiosa & succincta.



PARS